



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1230. Usque Ad Annum 1248

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1764**

**VD18 90118049**

§. 30. Facta post exauthoratum Fridericum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66268](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66268)

**Sæcul. XIII.** exauthorato capiendum non est exem-  
**A.C. 1245.** plum contra reliquos Principes supre-  
**3. Dis. §. II.** mos: præterquam quod potestas Eccle-  
 siastica generatim se non extendat ad res  
 profanas, ut alibi demonstravi.

## §. XXX.

*Facta post exauthoratum Fride-  
ricum.*

**Matth. Par.** Papa, cum Imperium declarasset vi-  
**P. 593.** duum, declaravit etiam Germaniæ  
 Principes, quos hæc tunc agnoscebat E-  
 lectores; nempe laicos, Austriæ, Bava-  
 riæ, Saxoniae, ac Brabantiae seu Lovanii  
 Duces; Præsules, Archiepiscopus Colo-  
 niensem, Moguntinum, & Salisburgen-  
 sem. In quendam Rheni insulam con-  
 veniendum solis erat, nec permittendus  
 cuiquam alii accessus, donec de futuro  
 Rege consentirent. Papa per litteras  
 eos vehementer oravit, ut Imperatorem  
 alium cooptarent, suum & totius Eccle-  
 siæ subsidium, ac mox quindecim argen-  
 ti selibrarum millia spondens: At Fride-  
 rici oppositio hos Principes, præsertim  
 Austriæ Ducem ipsi foedere junctum per  
 aliquantum tempus cohibuit.

**Matth. Par.** Imperator comperto, se exauthora-  
**P. 595.** tum esse, ira excandescens, ac præsentem  
 obliquis intuens oculis dixit: *Isle Papa  
 in concilio suo de gradibus dignitatum medi-*



rum me dejecit, measque mihi coronas abri-  
 puit: unde hæc illi audacia? Apportate  
 mihi cistellas meas! Quibus apertis, Vide-  
 te, inquiebat, an coronas meas amiserim!  
 Earum altera capiti suo imposita super-  
 biens scintillantibus oculis & terribili vo-  
 ce, Coronam meam, ajebat, nondum perdi-  
 di, quam non nisi fuso sanguine vel Pa-  
 pa mihi vel concilium adimet. Mediocris  
 fortis homo Imperatoriam mihi dignitatem  
 abrogare audeat, inter Principes parem  
 non habenti? Conditio tamen mea fit me-  
 lior. Obedientiam illi, vel saltem venera-  
 tionem aliquam debebam; nunc nihil debeo.  
 Ex eo tempore studiosius conatus est Pa-  
 pæ in bonis, cognatis & amicis ipsius,  
 quidquid malorum posset, afferre. Tau-  
 rini erat, cum exauthoratum se audiit:  
 & quamprimum Cremonam reversus Im-  
 perii res composuit: dein propere in A-  
 puliam profectus, filium suum Conradum  
 mox in Germaniam misit.

Sæcul. XIII.  
 A. C. 1245.

Mon. Pad.  
 an. 1245.  
 p. 591.

Principes a Papa ad se conversurus, Petr. de Vin.  
 geminas eis epistolas scripsit. In priore, lib. 1 ep. 2.  
 ut exemplo ipsius sapiant, exhortans, Matth. Par.  
 Quid a tali Papa, inquit, singulis vestrum  
 non timendum est, dum me post solennia  
 Principum suffragia tota Ecclesia probante  
 Dei nutu coronatum Imperatorem, tot a-  
 lia sane grandia Regna gubernantem movere  
 gradu molitur, cum tamen nullum jus ha-  
 beat, contra nos, quantum ad profana spe-  
 ctat,



Sæcul. XIII.  
A.C. 1245.

Etat, severitatem aliquam adhibendi, etiam si fingamus, legitimis & manifestis illum causis eo adductum esse? At nec primus sum, quem Clerus potestate abutens sua sic invasit, nec ultimus ero. A vobis hoc malum nascitur, dum geritis morem his hypocritis, quorum ambitio limites nescit. Quot crimina, quæ pudor ne recitari quidem patitur, si velletis attendere, in Romana curia detegeretis! Magni e regnis multis proventus eos divites simul & insanos reddunt. Quam remunerationem, quod gratarum mentium specimen vobis dant pro decimis ac elemosynis, quibus eos sustentatis? Et postea: Ne credite, me ob sententiam Papæ abjecto esse animo! Conscientiæ meæ puritas, cuius testis est mihi Deus, mihi affirmat eum esse mecum. Semper cogitavi Ecclesiasticos, præsertim summos, in Ecclesiæ primæve statum redigere vitam ducentis Apostolicam, & Dominicam demissionem imitantis. Tuus Clerus videbat Angelos, sanabat infirmos, resuscitabat mortuos, Reges ac Principes non armis sed virtute sua sibi submittebat. Hodiernus rebus fluxis addictus, ac deliciis ebrius contemnit Deum, & opes nimia omnem in eo Religionem suffocant. Itaque charitatis opus est, perniciosas ei divitias, quæ illum opprimunt, adimere: atque hoc est, quod omnes mecum agere debetis.